

Regulares tenentur accedere synodum, procurationes dare Episcopo visitanti: et si mos est, pendere quartam funeralium, licet priora duo multi referant ad legem jurisdictionalem.—3.^o Ecclesiæ regulares omnes de jure communi tenentur lege jurisdictionali Episcopi. Ità *Can. 12. qui vere* 16. q. 1. ibi. *Qui per civitates singulas, seu possessiones in monasteriis sunt, placet nobis Episcopo esse subjectos; et Can. 47. monasteria* 18. q. 2. At de jure speciali, seu privilegio Apostolico plerique Ordines regg. exempti sunt à jurisdictione Episcoporum, ità ut Prælati in suos religiosos obtineant jurisdictionem quasi Episcopalem (*c. 3. de priv. in 6.*). Dantur tamèn certi casus, præsertim à Trid. expressi, in quibus Religiosi exempti subjiuntur jurisdictioni Episcoporum, tanquàm Sedis Apost. delegatorum, de quibus *tit. de Regul.*

TITULUS XXXII.

DE OFFICIO JUDICIS. *

237. *Nota*, officium judicis esse munus publicum cognoscendi et definiendi res in iudicium delatas. Officium hoc est duplex: *nobile et mercenarium*. *Nobile*, seu per se stans, est, quod exercetur à iudice vel motu proprio ad nullius actionem, vel parte quidèm implorante, actionem tamèn strictè talem non habente. Hoc officium exercet iudex; vel *adjuvando jus commune*, ut dando pauperi advocatum; vel *corrigendo*, seu *impugnando jus commune*, hoc est, juris rigorem temperando, non tamèn contra claram definitionem juris, ut rescindendo contractum de jure validum. *Mercenarium* est, quod exercetur à iudice ad instantiam actoris, strictam actionem habentis contra reum. Dicitur autèm *mercenarium* non à mercede propriè, quasi iudex pro mercede iudicaret; hoc enim sordidum est in iudice, sed metaphoricè à mercenariis et famulis; quia sicut mercenarii deserviunt domino, faciendo opus eo modo quo præcipitur: ità iudex deservit actioni, iudicando eo modo, quo merita causæ postulant.

238. Q. I. *Quis constituere possit iudicem cum jurisdictione ordinaria?*

R. Hunc constituere potest supremus Princeps, lex seu Canon, et etiàm consuetudo legitimè præscripta. Et quidem:—1.^o Papa in foro ecclesiastico constituit iudices ordinarios Patriarchas, Episcopos, Legatos suos, Officiales curiæ romanæ, Prælatos ordinum regg. Itèm Papa, et quilibet alius summus Princeps politicus iudices seculares ordinarios creare potest, idque ob summam potestatem; nullus verò alius inferior, nisi

a—Agitur de hac materia in Decreto *Can. 2. §. si vero* 3. q. 7.—In Trid. *sess. 24. c. 20. Sess. 25. c. 3. et 10. de reform.*—In jure civili *lib. 4. Instit. tit. 17.*—In Pandectis *lib. 1. tit. 11. 12. 14. lib. 2. tit. 1. 2. lib. 3. tit. 1. sparsim lib. 42. tit. 1. sparsim.*—In Codice *lib. 1. tit. 39. 40. 45. 48. 49. 53. lib. 3. tit. 1. 2. 3. 13. Nov. 8. 82.*

jure regalium obtinerit talem potestatem, qualem habent Electores et Principes Imperii in suo territorio superiorem non recognoscentes.—2.^o *Lege*, vel *Canone* illi constituuntur iudices, quibus, facta legitima determinatione, lex ipsa seu Canon concedit jurisdictionem contrariam; uti sunt vicarius generalis Episcopi, aut capituli, sede vacante, Archidiaconus, magistri, seu tribuni à collegiis electi, uti in collegio mercatorum, opificum etc.—3.^o *Consuetudine*, constitui potest iudex etiàm cum imperio mero, seu jure gladii, saltèm si consuetudo sit immemorialis, quæ æquiparatur privilegio, (*cap. 4. de off. Legat. cap. 26. de V. S. ibi: ex antiqua consuetudine* etc.), idque fieri potest: vel *privativè*, excluso quoquumque alio, vel *cumulativè* cum aliis, ut locus sit præventioni.

239. Q. II *Quis possit iudex constitui?*

R. Omnis, qui natura, aut lege non prohibetur; (*l. 12. ff. de judic. Can. 1. infamis* 3. q. 7.) Et quidem:—*Natura* prohibentur impubes, furiosus, surdus, et mutus, quia destituuntur qualitatibus ad iudicandum necessariis. *Cæcus* autèm *iudicandi officio fungi* potest, præsertim si eo functus est ante cæcitatem (*l. 6. ff. de judic.*); minor 25³ annis, si annum decimum octavum excessit; non quidem ab inferiori, nisi de consensu partium, benè verò à principe iudex constitui potest (*l. 57. ff. de re judic.*) *Princeps enim, qui ei magistratum dedit, omnia gerere decrevit.*—*Lege* prohibentur infames, senatu moti propter turpitudinem, fœminæ et servi (*cit. Canon. infamis. l. 3. ff. de judic.*); excipe illustres fœminas, ut reginas, principes etc. publicè et notoriè excommunicati (*c. 24. de sent. et re jud.*) Deniquè monachi, et Religiosi sine licentia Prælati; acta tamèn eorum valerent, cum potestatis judicialis non sint incapaces servi.

Ex constit. Bened. XIV. *Romanæ* (21. Decem. 1745.) Nullus ex iudicibus ditionis Ecclesiasticæ interponere potest decretum voluntariæ jurisdictionis in contractibus mulierum, minorum et impuberum, nisi laurea doctorali in aliqua publica et approbata studiorum universitate sit insignitus, sub pœnis ipso facto incurrendis nullitatis decreti, et infamiae respectu ipsius iudicis, et perpetuæ inhabilitatis ad quæcumque officia et magistratus, aliisque afflictivis Sed. Apost. arbitrio infligendis. Ubi verò desit iudex laicus sic laureatus, decreta hujusmodi interponenda sunt ab Episcopo, sive ab illius generali Vicario, vel aliò loci ordinario iudice ecclesiastico; etiamsi agatur de bonis laicalibus, et inter merè laicos. Romæ verò interponenda tantùm à iudicibus ordinariis, et quidèm per se ipsos, id est:—A Cardinali Vicario, ejusque Vicesgerente et Locumtenente in civilibus.—A Governatore, et ejus Locumtenente in civilibus.—Ab Auditore generali Cam. Apost., et duobus ejus Locumtenentibus in civilibus.—A Senatore, ac duobus ejus Collateralibus.—A pauperum advocato pro solis pauperibus, et domi suæ tantùm, vel in carceribus; et gratis omninò, etiamsi aliquid spontè ipsi detur. Insuper pro validitate hujusmodi decretorum exprimenda sunt in instrumento utilitas contractus, et jura, seu scripturæ, ex quibus evincitur talis utilitas; interposito iudicum juramento super visura dictorum jurium à se facta, sub pœna iudicibus et eorum notariis imposita, refectionis damnorum directè, et in solidum cum altera parte contra-

dicente, et nullitatis contractus, non obstante quocumque juramento a mulieribus, minoribus et impuberibus interposito. "

240. Q. III. *In quibus casibus judex exerceat suum officium mercenarium et nobile?*

R. 1.^o Tunc exercet mercenarium, dum non ex mera aequitate, sed ex jure stricto aliquid præcipit, prohibet, vel permittit in judicio: item dum super actione, seu jure strictè debito profert sententiam definitivam, aut interlocutoriam, uti etiã super fructibus, damnis sumptibus, aliisque accessoriiis. Sic accidit in petitione hæreditatis, judicio familiæ heriscundæ, mutui, depositi etc.

2.^o Judex tunc exercet officium nobile *ex motu proprio*, dum auctoritatem suam interponit, nulla parte implorante, sed solius publicæ utilitatis causa, ut:—Ferendo leges, inquirendo in crimina, et criminosos (*c. 24. de accusat.*)—Coercendo sævitiam dominorum in servos et subditos, etiã his non petentibus (*l. 6. §. 2. ff. de off. Præsid.*)—Interdicendo prodigis administrationem rerum suarum (*l. 1 ff. de curator. furios.*)—Pupillis, viduis, furiosis, et similibus personis dando tutores, curatores, defensores, advocatos, (*c. 1. h. t.*)—Exequendo sententia latam, nam justà *l. 53. ff. de re jud.*, *judex posteaquã semel sententiam dixit, postea judex esse desinit*, putà quoad officium mercenarium in hac causa; *semel enim malè, seu benè officio functus est*, ut amplius neque de expensis pronuntiare, et sententiam corrigere valeat; ergò exequutio sententiæ est actus officii nobilis.

3.^o Judex tunc exercet officium nobile ad implorationem partis, dum implorans nullam habeat actionem stricto jure competentem; æquum tamen est ei succurri per judicem, ut restituendo minorem, qui improvido rem suam vendidit (*cap. fin. h. t.*), compellendo patrem, ut agnoscat filium, et ei alimenta præbeat (*l. 4. ff. de judic.*), vel ut det dotem congruam filiæ (*l. 19. ff. de ritu nuptiar.*) etc. Imò quandoque, licet adsit actio, potest quis implorare officium judicis, cum hæc via extraordinaria sæpius melior sit quàm ordinaria, v. g. ut Judex jubeat adversarium desistere à gravamine, turbatione etc. Porrò, litis contestatio tunc tantum est necessaria, dum imploratur officium Judicis principaliter, et contra certam personam (*c. fin. h. t.*), quia talis imploratio vim habet actionis. Si autem imploretur officium incidenter post, vel ante ingressum causæ, non opus est speciali contestatione litis, cum sufficiat illa, quæ in causa principali habetur.

241. Q. IV. *Ad quid teneatur judex vi sui officii, et obligationis?*

R. Judex gravissimè obligatur ad justè judicandum et cavendum ea omnia quæ justitiam pervertere possunt. Undè inter ea, quæ cavere debet sunt:—1.^o Ne personas respiciat, quia per *reg. 12. in 6. in judiciis non est acceptio personarum habenda*:—2.^o ne prava passione, ut ira, odio, amore, vel amicitia flectatur, et procedat ad judicandum:—3.^o ne munera accipiat, de quo infra:—4.^o ne in propria causa jus sibi dicat, nisi esset supremus judex (*c. 12. de judic.*)

Inter ea verò, quæ judex facere tenetur, sunt:—1.^o ut non perfunctoriè, sed diligenter causam examinet (*c. 11. judicantem*, 30. q. 5.;—2.^o ut

in judicando sequatur jura, non verò propriam voluntatem, (*c. 3. d. 4.*);—3.^o ut suppleat ea, quæ ex officio suo, seu præcepto juris supplenda sunt, (*c. 1. h. t.*);—4.^o ut sententiam proferat secundum merita causæ. Quæ ex his discussione egent, in seqq. resolventur.

242. Q. V. *An judex licitè accipere possit munera, xenia et sportulas?*

Munera sunt dona in quantitate notabili, quæ ab aliqua parte spontè offeruntur judici. Xenia sunt dona in modica quantitate, et plerumque dantur in esculentis et poculentis uno, aut altero die consumptilibus. Sportulæ sunt certa quota pecuniæ, quæ æqualiter ac utraque parte litigante judici offertur. Nomen retinet continentis, quia sportula propriè est causa pecuniæ, seu vas, in quo obsonia et cœnæ ferebantur, atque ita metonymicè sportula accipitur pro ipsa pecunia, vel obsonio.

R. 1.^o Acceptatio munerum est prohibita judici jure divino et humano. Ità *Exod. 23. v. 8. Non accipies munera. quæ etiã excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum*: quæ ratio moralis ab ipso Deo assignata, rectè ostendit acceptionem munerum etiã jure naturali prohiberi propter periculum pervertendi justitiam, cui se exponit judex acceptans munera.—In jure Can. (*c. 10. de vita et honest. Cler.*) severè præcipitur, ut iudices ad iniqua munera oculos non inclinantes, gratis judicent, cum nec justum judicium judici vendere liceat, et venales sententiæ ab ipsis etiã secularibus legibus reprobentur; putà in *l. 18. ff. de off. Præsid.*, ubi Modestinus ait: *Plebiscito continetur, ut nequis Præsidum munus, donum caperet: et Auth. novo jure C. de pena judicis*, prohibetur acceptio munerum sub pœnis ibi expressis.—Ratio hujus prohibitionis fuit universale periculum subvertendæ justitiæ, et faciendi sententiæ venales; siquidè munera potenter excæcant, et rectitudinem judiciorum impediunt; ac proindè jura ista, utpotè in materia gravi et publica, graviter in conscientia obligant.—Porrò, judex tenetur in conscientia ad restitutionem munerum acceptorum (*l. 3. et seqq. ff. ad l. jul. repetund. et l. 3. 4. C. eod. et cap. 11. §. si quid de resc. in 6. Si quid autem contra constitutionem præsentem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur; nullà eorum, quibus restitutio facienda fuerit, remissione ullatenus profutura eidem*). Et quidè, restitutio facienda est danti ante sententiam, in casu quo Judex munera accepit per modum pretii pro exequutione administrandæ justitiæ, quæ pretio emi non potest; et in casu, quo dans non obtulit munera spontè, sed ad redimendam vexam, quia timuit judicem vel nimis segnem futurum in exequutione sententiæ, vel iniquum in ea ferenda.—Extra hos casus, an Judex qui, non obstantibus muneribus, justè processit, teneatur ad restitutionem acceptorum ante sententiam, dubitant Doctores. Affirmativa videtur probabilissima ex cilt. juribus: negativa tamen non est improbabilis: tunc quia leges istæ non faciunt mentionem fori interni, in quo donatio per se valet; tum quia restitutio ista sapit naturam pœnæ, quæ ante sententiam non debetur. Quod si judex per sententiam condemnatur ad restituendum triplum accepti, et duplum promissi, ut statuitur *cit. Auth. novo jure*, restitutio fit fisco, et non danti, utpotè eadem turpitudine laboranti.

2.^o Judex licitè accipere potest moderata xenia. Ità *cit. c. 11. §. Insu-*

per, de rescript. in 6. ibi: nisi forsàn esculentum et poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus. Et cit. l. 18. ff. de off. præsid. et l. 6. §. 3. ff. de off. procon. ubi Jctus. ex Epist. Severi, et Antonini Imp. ait: *Vetus proverbiū est: neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus; nām valdè inhumanum est à nemine accipere, sed passim vilissimum est, et omnia avarissimum.* Et in fine: *sed nec ævia producenda sunt ad munerum qualitatem.* Ratio est, quia xenia cū modica sint et humanitatis causa spontè offerantur, non videntur sufficere ad pervertendum animum judicis.—Nec obstat nov. 8. in fin. ibi. *nihil penitus accipientes;* nām prohibentur sola munera et xenia excessiva, quæ ad munerum qualitatem ascendant.

3.º Judex de jure Can. non potest licitè recipere sportulas. Ità c. 10. de vit. et honest. et cit. c. 11. §. insup. de Rescr. in 6. Nām tales sportulæ non sunt necessariæ judici ecclesiastico ordinario, cū iste suos redditus deputatos habeat; neque delegato, qui regulariter est Clericus beneficiatus habens congruam sustentationem; ergò uterque abstinere debet sportulis, utpotè quamdam speciem mali præferentibus. Permittitur tamèn in cit. c. 11. ut judex, si in gratiam litigantium iter agere debeat, expensas moderatas itineri exigere possit, uti et salarium pro assessore, si quò indiget, et de suis proventibus eum alere non potest. At de jure civili judex delegatus (non ordinarius, utpotè habens salarium à principe constitutum) potest à partibus sportularum nomine exigere pro suo labore duos aureos in principio, et alios duos in fine litis (Nov. 82. c. 9., modò lis transcendat centum aureos.

243. Q. VI. *Quid judex in judiciis suplere teneatur?*

R. Ea solum, quæ sunt juris, si vel omissa, vel minùs dicta sint à litigantibus, vel eorum advocatis; ità c. 1. h. t. et l. un. c. ult.: *quæ desunt advocatis partium, judex supleat.* Nām ea, quæ sunt juris, per se spectant ad officium judicis; ergò ab eo omitti non debent, sed suppleri. Undè judicis est examinare libellum, et ineptum rejicere, deferre juramentum calumniæ, dare dilationem, actorem excommunicatum ab agendo repellere (c. 12. de except.), inquirere probationes ex ipsa causa ortas, etc.—At contrà, judex regulariter non suplet ea quæ facti sunt, cū judex non debeat agere id quod est partium, ut exceptiones objicere, testes, instrumenta, et alias probationes producere, prolationem sententiæ petere etc. *Excipe,* nisi immineat periculum animæ, sicut in matrimonialibus, vel nisi factum sit notorium, vel testes notoriè indigni, vel nisi favor publici boni, causæ piæ, aut miserabilium personarum exigat, ut judex supleat etiam ea, quæ facti sunt.

244. Q. VII. *An judex teneatur judicare secundum jus rigorosum in se clarum et certum?*

R. Affirmativè, etsi contraria sententia mitior videatur sibi probabilior et æquior: ità Can. 3. d. 4. ibi: *cū leges fuerint institutæ et firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas.* Et c. 1. de Constit. ibi: *nemo in judiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed Canonum auctoritate ducatur.* Idem statuitur in jure civili (l. 13. C. de sent. et interloc.), ubi judici præcipi-

tur, ut non ex consultationibus, vel sententiis aliorum, sed ex legibus jus dicat, *cū non exemplis, sed legibus judicandum sit.* Et juxtà l. 1. §. 4. ff. ad SC. Turpill. et l. 15. pr. ff. ad Municip., *facti quidè quæstio in arbitrio est judicantis, pœnæ verò persecutio,* seu id quod juris est, *non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur.*—Ratio est, quia judex, utpotè inferior, legem justam, etsi duram et rigorosam, non potest tollere vel relaxare; aliàs quisque judex ob privatam existimationem facile à legibus recederet; ergò judicare debet secundum legem rigorosam, modò sit certa, et in se clara, *quod quidèm perquam durum est; sed ità lex scripta est* (l. 12. pr. ff. qui et à quib. manum.) *Excipe,* nisi lex rigorosa esset obscura et incerta, vel contra eam daretur lex mitior, vel probabilius constaret de mente legislatoris, quòd talem casum noluerit comprehendere sub hac lege.

Dices: L. 90. ff. de R. J.: *in omnibus quidè, maximè tamèn in jure æquitas spectanda est;* et l. 8. C. judic.: *placuit in omnibus rebus, præcipuam esse justitiæ æquitatisque, quam stricti juris rationem;* ergò judex suadente æquitate potest, imò debet judicare contra juris stricti rigorem. Sic olim Prætores judicabant corrigendo, et temperando juris rigorem.—R. Hos, et similes textus procedere de illis casibus, qui in lege dura et rigorosa non sunt expressè et clarè decisi, sed rationabile est dubium, an hic vel ille casus contineatur sub lege; et tunc æquitas rigori juris præferenda est, ut eam sæpius prætulere Jcti et Prætores, hac interpretandi facultate præditi: econtrà si casus est clarè decisi in lege rigorosa, non licet ab ea recedere etiam prætori (cit. l. 12. pr. ff. qui, et 4. quib. et l. 12. ff. de bonor. pos.), ubi prætor non potest dare bonorum possessionem ei, cui lex prohibet eam accipere, sed mitigare talem legem soli principi reservatur (l. 1. C. de LL.) Ex his plura alia solvuntur l. 183. ff. de R. J. l. 7. §. 1. ff. de J. et J. l. 11. ff. de in jus. voc. l. 83. et 90. ff. de in integr. rest. l. 2. ff. de const. pecun. l. 15. ff. de recept. l. 79. ff. de jure dot. etc. Et sic etiam explicandum est illud brocardicon: *Summum jus, summa injuria.*

245. Q. VIII. *Quam sententiam ex probabilibus teneatur judex amplecti?*

R. 1.º Judex non tenetur sequi sententiam communem, dūm opposita ex gravioribus fundamentis apparet ei verè probabilior, cū eligendo probabiliorē, proprius accedat veritati judiciorum.—2.º Judex in causa civile tenetur sequi partem probabiliorē quàm probabilem, seu in partem illam inclinare, pro qua stant potiora merita causæ. Ità hodiè certa sententia, et oppositam damnavit Inn. XI. n. 2.: *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxtà opinionem etiam minùs probabilem:* nām judex judicare ex quasi contractu tenetur secundum merita causæ; ergò pro illa parte sententiare debet, quæ habet, probabiliora, seu potiora merita causæ. At in criminalibus, in quibus requiruntur probationes luce meridiana clariores, potius favendum est reo, etsi partes illius sint minùs probabiles, quia prestat nocentem absolvere, quam innocentem condemnare.—3.º Si utraque pars est æquè probabilis, quod in praxi rari accidit, judex non potest accipere pecuniam, ut sententiam in favorem unius præ altero ferat, quia hoc modo venderet sententiam, seu actum justitiæ

nullo pretio temporali aestimabilem. Oppositum damnavit Alex. VII. n. 26.; cui non obstat c. 24. *de offic. deleg.*; nam in eo permittitur judici esse gratiosum quoad arbitraria, in quibus nullum est periculum et praedictum tertii. Quare, si omnia sint aequalia, sententia ferenda est pro reo possessore, vel qui possessionem antiquiorem et titulata probaverit; vel iudex pronuntiabit secundum interdictum: *ut possidetis, ita possideatis.*

246. Q. IX. *An iudex ex scientia publica probatorum et allegatorum condemnare possit reum, quem certa privata notitia scit innocentem?*

Negant universaliter tam in civilibus, quam in criminalibus Abbas, Besold. Gormaz, Pichler, Schmier. Affirmant in causis civilibus et minoribus criminalibus, sed negant in majoribus, ubi agitur de poena mortis vel mutilationis, Lessius, Laym, Haunold, Reiff. Schmalz. et alii. Utraque haec sententia valde est probabilis. Affirmant etiam in criminalibus capitalibus S. D. Sanchez, Covar. Clar. Azor. et plurimi alii TT. Canonistae, et criminalistae, quorum sententia non minorem habet probabilitatem. Unde cum tertia sententia:

R. *Afirmativè*, si nullum supersit remedium liberandi innocentem. *Prob.* 1.º *argumento principali*, Deus reipublicae dedit potestatem publicam puniendi reos legitime convictos, independentem a privata notitia iudicis, et consequenter, auferendo talibus reis jus vitae conservandae, omnia iudicia criminalia secundum leges facta subduxit a praecipuo *Non occides*, (*Can. 9. §. quasdam 23. q. 5.*): ergo iudex licite condemnat reum legitime convictum, sive privatim sciat, sive nesciat esse innocentem. *Prob. an. ex c. 17. Deuter.* ubi Deus ad substantiam iudicii criminalis tria praecipua requirit: *nunciatio, nem*, seu querelam; *inquisitionem diligentem*, seu exactam testimoniorum et defensionum discussionem; et *veritatem* iudicalem ex duobus, aut tribus testibus elicita *v. 6. In ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur*. Nulli verò mentio fit privatae notitiae iudicis, alioquin Deus dicere debuisset: *in conscientia privata iudicis, et in ore duorum, vel trium testium etc.*, ergo Deus reipublicae dedit potestatem puniendi reos independentem a privata notitia iudicis.—Hoc ipsum probatur ex *Can. 4. iudicet. 3. q. 7.* ubi S. Ambrosio dicitur: *Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticae propositio voluntatis, sed iuxta leges et iura*, hoc est, secundum allegata et probata *pronuntiat nihil paratum et meditatam domo defert: sed sicut audit, ita iudicat*. Eadem repetit S. Aug. super psalterium: *bonus iudex*, inquiens, *nihil ex arbitrio suo facit, sed secundum leges et iura pronuntiat*. Qui, et similes textus manifestè innuunt, publicam potestatem iudicis esse prorsus independentem a privata scientia, utpotè non pertinente ad iudicia (*cap. 2. de off. Ordinar.*)—Iudex, in omnium sententia, non potest condemnare reum legitime convictum, licet privatim certò sciat esse verè nocentem, quia scilicet privata scientia impertinens est ad informandum publicum officium iudicis; ergo econtra, iudex licite condemnat reum secundum leges convictum, licet privatim sciat innocentem, quia scientia publica ex duobus vel tribus testibus hausta de se est sufficiens ad informandum publicum officium iudicis. Nec video solidam disparitatem in eo, in quo ponitur paritas; sed quidquid dicatur, in idem reddit:

an scilicet publica potestas a Deo data, necessariò concordare debeat cum privata scientia iudicis, et ab ea regulari? Si non, ergò vera est nostra sententia, dicens potestatem iudicalem absolvendi et condemnandi datam esse a Deo dependentem, a scientia publica, non privata. Si ita, ergò neque iudex absolvere potest reum non convictum, quem privatim certò scit nocentem, cum sententia ipsius non concordaret cum privata notitia, sed respectu huius falsa et mendax foret. Ex hoc argumento primo constat, potestatem publicam iudici datam esse dependentem a scientia publica, et generaliter subductam fuisse a praecipuo *non occidendi*. Unde adversariis tria restant probanda: 1.º quòd potestas iudicialis in aliquo casu pendeat a scientia privata: 2.º quòd scientia publica iudicis necessariò concordare debeat cum privata: 3.º quòd praesens casus non contineatur sub generali potestate iudiciali, sed relictus sit sub praecipuo non occidendi. Uno ex his probato, cetera sequuntur.

Prob. 2.º argumento indirecto. Ideò iudex non posset condemnare reum legitime convictum, quem privatim scit innocentem, quia sententiando, directè et per se occideret innocentem in se talem; sed non occidit directè et per se: tum quia iudex adhibet omnem diligentiam et sollicitudinem ad reum liberandum, adeòque directè non vult eum occidere; tum quia sententiando, per se intendit exercere actum officii publici, ad quem obligatur vi quarelae et probationis legitima, licet ex tali actu por accidens sequatur mors innocentis, sicut belli dux impetere potest mœnia, turres et naves inimicorum, licet exinde sequatur mors multorum innocentium; tum quia reum publice convictum, non tam iudex, quam ipsa lex condemnat (*l. 1. §. 4. ff. ad SC. Turpill.*), lex autem non injurat, sed testes falsi directè occidunt, ut ait S. D. (*2. 2. q. 64. art. 6. ad 3.*); ergò talem reum iudex condemnare potest citra periculum homicidii.—Iudex et exequutor aequiparantur in hoc puncto, an contra scientiam privatam liceat facere actum iudicalem, cum in utroque sit idem periculum peccandi; sed exequutor potest, imò tenetur exequi sententiam, quam privatim scit esse injustam, modò sit justa iudicè, ut expressè decedit Innoc. III. (*c. 28. §. quia verò de off. deleg.*); ergò et iudex, ferre potest sententiam iudicè justam, licet privatim sciat esse injustam, et consequenter neuter peccat, aut occidit, cum uterque directè aliud non agat, nisi id, quod ordo juris deponit.

Prob. 3.º argumentis levioribus. Iudex vi auctoritatis divinae constituitur persona publica, cujus scientia debet esse publica, voluntas publica, et potestas publica; ergò si per suam imprudentiam vel negligentiam nihil committat contra processum iudicarium, condemnando reum publice convictum, licite agit ut persona publica, cum ut talis melius agere non possit secundum iura; non secus ac iudex, qui privatim ignorat reum esse innocentem, ne dicamus quod iudici ignoranti sua ignorantia det jus ad condemnandum reum in se innocentem.—Si iudex in dato casu non posset condemnare reum, eadem nocumenta sequerentur ex impunitate talium reorum, quae alias sequuntur ex impunitate verè nocentium, cum respublica non censeatur laesa per civem, nisi ut publice convic-

tum. Insuper sequeretur corruptio iudicum privatam scientiam innocentiae pro conniventia elegantium. Denique sequeretur, quod in publico iudicio iudex obligaretur stare magis unius ipsius testimonio, quam plurium aliorum; —Huic sententiae magnam auctoritatem conciliat S. Thomas. 2, 2. q. 64. ar. 6 ad 3 et 2. 2. q. 67. ar. 2 per tot. cum fuso commentario Cajetani et Seraphini. Ceterum, ut iudex hac sententia uti possit, prius adhibere debet omnia possibilis remedia ad reum liberandum: ut à principio ex justa causa rejiciendo accusationem, vel eam remittendo ad iudicem superiorem, severius et particularius examinando testes, vel citra scandalum praebendo occasionem, vel dissimulando, ut reus fugiat; et si est princeps, seu iudex subalternus habens jus aggratiandi, gratiam reo faciendo: quibus omnibus adhibitis vix moraliter possibilis est casus, in quo verè innocens condemnatur. Si tamen totus populus peteret justitiam, quo casu cessat jus aggratiandi, princeps non valens liberare reum, posset tutò sequi nostram sententiam, ne alias regno spoliaretur. Vide Cajet. loc. cit.

Obj. 1.º Cit. cap. 17. v. 4. Deuter. inter ceteras conditiones, etiam ponitur veritas: et verum esse repereris: sed si iudex certò scit reum esse innocentem, nunquam verum reperiet; nam falsa testimonia verum crimen fabricare nequeunt.—2.º Quòd publica scientia iudicis postponenda sit certae veritati privatae, ipse Deus docet Exod. 28: Non suscipies vocem mendacii, non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae, ut à vero devies insontem, et justum non occides.—3.º Iudex conformari debet iudicio divino, quia Dei iudicium est (Deut. 1. v. 17); sed in nostro casu iudex non conformatur iudicio divino, in quo reus habetur omninò innocens; ergò.—4.º Allegata et probata per testes plus non faciunt, quam fidem et praesumptionem, imò totum hoc iudicium est purè existimatum, ut nemo sanus negare potest, cum probationes dicant delictum esse, quòd reverà non est; sed fides, praesumptio et existimatio cedere debet certae veritati, quam iudex habet de innocentia rei: neque enim est credibile Deum velle, ut iudex sententiet pro falsitate sibi nota contra certam veritatem; ergò iudex in hoc casu non potest sequi fidem probationum.

R. Ad 1.º Textus iste, ut ante dictum, procedit de veritate iudiciali et publica, ex duobus aut tribus testibus elicit: neque enim intelligi potest de veritate naturali et physica; quae in iudiciis ferè semper est impossibilis, cum etiam mille testes physicam certitudinem non faciant.—Ad 2.º Textus iste Pilato et iudicibus ei similibus obtrudi debet, dum acquiescunt multitudini tumultuanti, et nihil iudicè probanti, sed ex invidia et odio insontes ad mortem poscenti: secus testimoniis conformibus, quae publicè non infirmantur ut falsa, acquiescendum est; cum iudex iudicare debeat, non secundum ea quae sunt, sed secundum ea quae audit in iudicio.—Ad 3.º Non est omnimoda paritas: nam Deus non iudicat ex testimoniis, seu scientia aliena, sed ex sua propria scientia et potestate: econtrà, iudex iudicat ex testimoniis seu scientia aliena, et potestate publica, adeoque publicae scientiae, et non suae conformari debet.—Ad 4.º C. M. et N. Min. Licet enim existimatio publica cedere debeat veritati publicae, si hæc

in iudicio afferatur; non tamen cedit veritati privatae, quae minimè pertinet ad iudicia, cum Scriptura dicat, quod in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Cetera argumenta ex his solvuntur, ut c. 44 de sent. excom. c. 1 de sent. et re jud. in 6 l. 6. §. 1. ff. de off. praesid. et quae affert Cajet. loc. cit. Fateor tamen secundam sententiam esse tutiorem et magis piam.

TITULUS XXXIII.

DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA. a.

247. Nota, hunc titulum per modum complementi subijci prioribus, eo quod inter iudices et personas Ecclesiasticas detur inaequalitas, ut alius alio sit excellentior, seu major. Majoritas ergò in praesenti est quaedam excellentia unius personae comparatae cum altera. Ad majoritatem jurisdictionis sequitur obedientia, quam minor debet majori, exhibendo ei reverentiam, ejus mandata observando, eique in iudicio parendo.

248. Q. I. An sacerdotium sit majus imperio?

R. Affirmative; ita Innoc. III, (cap. 6. h. t.); ubi sacerdotium comparat soli et animae, imperium verò lunae et corpori. Nam Christus Dominus in republica christiana potestatem temporalem subiecit spirituali, utpotè digniori. Et ideò rectè dixit Deus Sacerdoti: Ecce constitui te super gentes et regna, (Jerem. 1.) Undè reges et principes subjecti sunt in spiritualibus non tantum Papae; sed etiam suis Episcopis tanquam pastoribus.

249. Q. II. Qui sint gradus majoritatis in ordine Ecclesiastico?

R. Sequentes:—1.º Papa antecellit omnes in Ecclesia, tanquam Pastor universalis.—2.º Cardinales Episcopi, Presbyteri, et Diaconi ex dispositione Bonif. VIII et Clem. V., quibus etiam Urban. VIII, (1630 die 10 Junii) titulum eminentiae attribuit, cum aliàs dicti fuerint Illustrissimi.—3.º Patriarchae Alexandrinus, Antiochenus, Jerosolymitanus, et Constantinopolitanus, qui deinde tribus prioribus praelatus est.—4.º Primate, Archiepiscopi, Episcopi, Praelati, et tandem ceteri Clerici.—5.º In diocesi primum locum obtinet Episcopus: hunc de jure communi sequitur Vicarius generalis, Archidiaconus, Archipresbyter, et alii Canonici: sede autem vacante Vicarius sequitur decanum, qui primam dignitatem obtinet in Ecclesia cathedrali. At de consuetudine praesertim Germaniae Vicarius, si Canonicus est obtinet locum sui Canonici: si vero non est Canonicus, sequitur Canonici: deinde veniunt Canonici collegiati, decani rurales, Parochi, et

a.—Agitur de hac materia in Sexto, et Extrav. h. t.—In Decreto dist. 21, 22, 93, 96, et 8. q. 4 et 9. q. 3. Can. Episcopo cum seqq. et Can. 34. d. 5 de consecr.—In Trid. sess. 25. c. 6. v. Episcopis et sess. ead. c. 17 de ref. et sess. 25. c. 13 de Regul.

reliquis Clerus secularis.—6.º Clerum secularem excipit Clerus regularis, in quo de jure præcedentiam habent Canonici, et clerici regulares, tum monachi, ac denique mendicantes. De consuetudine sæpè aliud observatur.—7.º In concursu cleris secularis et regularis, Abbates et Prælati regulares præcedunt Canonicos, etiã cathedralis solitariè incedentes; quia his præeminent jurisdictione, licet consuetudo aliud habeat in certis locis. Si autem Canonici collegialiter incedant cum suo Episcopo, præcedentiam habent ante Abbates et Prælatos regulares, quia hoc modo repræsentant Ecclesiam cathedralem, quæ dignior est abbatiâli; hæc verò post Episcopalem dignior est aliis dignitatibus et Ecclesiis. (*Can. 12 si quis 16. q. 7.*)

Ad Papæ majoritatem spectat, quòd omnes per universum orbem Episcopi, statutis temporibus à Sixto V. Constit. 15. *Romanus Pontifex*, ex veteri Ecclesiæ more (*c. 4 juxta dist. 93.*), visitare debent limina Apostolorum, et suarum ecclesiarum statum referre juxta Instructionem S. Cong. Conc. impressam in appendice tomi II bullarii Benedic. XIV pag. 4, quæ comprehendit etiã Archiepiscopos, Prælates et Patriarchas. Ad hujusmodi visitationem teneri etiã Episcopos Titulares, ac etiam administratores datos alicui Episcopo in legitima ætate nondum constituto, non verò coadjutores, probat idem Bened. (*lib. XIII de synod. diœc. c. 6. n. 5.*)

Sixti Constitutionem confirmavit dictus Benedict. (23. Novembr. 1740. *Constitut. Quod Sancta*) eamque extendit ad omnes et quoscumque Abbates, Priores, Præpositos, aliosque quocumque nomine ac titulo insignitos. etiã S. R. E. Cardinales, tam seculares, quàm regulares, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, jam promotos, et promovendos; qui antequàm suorum monasteriorum, seu Ecclesiarum possessionem adipiscantur, juramentum præstare debent juxta formulam in dicta Constitutione descriptam, in manibus Cardinalis Decani, si præsentis sint in curia; sin minus, in manibus Nuncii aut Legati Apostolici, et si hic absens fuerit, in manibus alicujus Episcopi, aut Archiepiscopi eorum arbitrio eligendi, se ejusmodi visitationem personaliter peracturos, ac de sibi commissis monasteriorum et Ecclesiarum procuracione relationem Romano pro tempore existenti Pontifici reddituros singulis trienniis, à die captæ possessionis incipiendis, si sint Itali, vel ex Insulis et provinciis Italiæ adjacentibus: reliqui verò quinto quoque anno: quibus respectivè temporibus completis, repetere toties quoties tenentur, sub pœnis Papæ reservatis ipso facto incurrendis ab omittentibus prædictas relationem et visitationem; videlicet ab ingressu Ecclesiæ, et administratione tam spiritualium, quam temporalium, nec non à perceptione fructuum monasteriorum, seu Ecclesiarum, interim exigendorum ab Episcopo, vel Archiepiscopo viciniore monasterio, aut Ecclesiæ nullius; et insumendorum in opus fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiæ emptionem, prut magis exegerit necessitas.

Si verò legitimè impediti fuerint, jurare debent, se prædicta omnia adimplenturos per nuncium in dignitate ecclesiastica seculari vel regulari constitutum, qui sit de gremio suorum monasteriorum, vel Ecclesiarum; aut per aliquem Sacerdotem secularem, vel regularem; qui tamèn docere de-

bent de impedimento legitimis probationibus Cardinalis S. Congreg. Concilii Præfecte exhibendis.

Circa hanc visitationem quo ad omnes Episcopos, vide latè scripta à Fagnan. c. 4. *Ego N. Episcopus de jurejuran.* ..

250. Q. III. *Quem majoritatis gradum obtineant Protonotarii Apostolici?*

R. 1.º Protonotarii, seu primi Notarii *participantes*, sunt personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ speciale officium in curia romana obtinentes: erantque olim septem per septem urbis regiones deputati ad conscribenda gesta martyrum; hodiè verò sunt duodecim (ex Constitut. Sixti V. incip. *Rom. Pontifex*, et alia: *Laudabilis*), quorum officium est adnotare ea, quæ in publicis Consistoriis geruntur, et conficere instrumenta authentica, si rogentur. Hi, ex privilegio dicti Pontificis, exempti sunt à jurisdictione ejuſeumque Ordinarii: post Episcopos proximum dignitatis locum obtinent, et facultatem creandi doctores, et notarios publicos legitimandi spurios ad successiones hæreditarias, arma deferendi, testandi de his mille ducatis proventuum ecclesiasticorum.

Ex Constit. Bened. XIV. *Inter conspicuos* (29. Aug. 1744. §. 23.), nequeunt promovere absentes ad gradum doctoratus; præsentis verò in urbe, non nisi sex in singulos annos, servatis conditionibus ibidem præscriptis. ..

2.º *Protonotarii honorarii* seu *titulares*, seu *non participantes* sunt, qui præcisè honorem hujus nominis obtinent cum certis privilegiis; ut deferendi rochetum et manteletum coloris nigri, vel violacei, utendi pileo super suis insignibus, exequendi litteras apostolicas etc. Et hi preferuntur quidè aliis Clericis nullam dignitatem obtinentibus; non tamèn prælatis regularibus, ut Generalibus, provincialibus, et localibus, cum hi ob jurisdictionem fori externi sint propriè dignitates Ecclesiasticæ. Plura de his vide apud Barbosam (*lib. 4. c. 43. jur. Ecclesiastic. univer.*)

251. Q. IV. *Ex quibus titulis præeminentia inter Clericos pares acquiritur?*

R. 1.º Ex titulo *altioris ordinis*, vi cujus Sacerdos præferendus est Diacono, (*c. 45. h. t.*); sed hoc non observatur inter Canonicos, qui præcedentiam desumunt ex antiquitate ob consuetudinem approbatam (*c. fin. de consuet. in 6.*)—2.º Ex titulo *dignioris ordinantis*, ut ordinatus à Papa reliquis præfertur (*c. 7. h. t.*)—3.º Ex titulo *prioritatis temporis*, qualiter seniores parochi præferuntur junioribus (*c. 1. h. t.*)—4.º *Ex privilegio*, sicut Patriarchatus Constantinopolitanus tribus prioribus prælatus est in Concil. Constantinop. I. *can. 5.*, qui canon, prius ab Ecclesia Romana rejectus, deinde tamèn approbatus est *cap. 23. de privil.*

Circa præcedentiam, tam inter Canonicos, Parochos, ceterosque clerici seculares, quàm inter Canonicos regulares, monachos et mendicantes in processionibus et synodis, *neon* confratres confraternitatum, vide fusè allata à Ferraris Prompta Bibliotheca in opere et supplemento verbo *Præcedentia*, et signanter Constit. Greg. XIII et Urban. VIII., ac quamplura decreta S. Congr. Rituum ibidem relata.